

P R Æ F A T I O.

rationem habui, quæ in Bibliis Polyglottis exhibentur; nisi quod Latinas recentiores alias, & Judæo-Germanicas adjunxerim: exoticas vero, & Occidentales translationes, sicco præterii pede, earum quod ut minor est auctoritas, sic exiguus in foro Critico usus. Summi autem Lutheri nostri translationem vernaculam, quæ vel maxime commendari, recenferi & vindicari merebatur, obiter & perfunctorie attingere, religioni mihi duxi, eo quod plenum & integrum ista enarratio commentarium poscat. Pars III. in libros codicis sacri Apocryphos, Pseudepigraphos, & eos qui frustra jactantur e Canone deperditi, inquirere debebat. Cum vero incomparabilis Hamburgensium Polyhistor, istud & Germaniæ, & seculi nostri decus, Joh. Albertus Fabricius, in *Codice Pseudepigrapho Veteris Testamenti*, hunc laborem dudum occupaverit, Apocryphorum etiam examen, peculiarem & copiosiore, quam pro libelli nostri modulo, tractationem requirat, scientes volentesque eam alio remisimus. Istam